



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

8 Vtrùm ingressus in Religionem liberet à restitutione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

cap. 6. Secundò, Quando Iudex in pœnam delicti, per sententiam imponit alicui multam in fauorem eius qui iniuriam passus est: oportet tamen sententiam nisi veritate, non falsa præsumptione, de quo infra. Tertio, Quando Iudex auctoritatem legû & naturalem æquitatem secutus; aliquid alicui adiudicat, quodd aliàs non deberetur ex rigore iustitiæ; is qui hoc percepit, non tenetur restituere. de quo vide cap. 7. dub. 8. Quarto, Quando aliquis per sententiam ordine Iuris latam, priuatus est officio, beneficio, vel hereditate; is qui hæc postea obtinet, non tenetur restituere, etiam si priuatim sciat condemnatum esse innocentem; modò ille causa falsæ illius sententiæ non fuerit. vide infra cap. 29. dubit. 10.

D V B I T A T I O V I I I.

Vtrum ingressus in Religionem liberet à restitutione.

69 **M**Edina q. 3. causa 8. docet, debitorem, qui manendo in sæculo poterat soluere, & ingrediendo se reddit impotentem, non posse ingredi Religionem; nisi antè soluerit: quodd si ingrediatur & profiteatur, tamen adhuc manere obligatum, & labore suo vel arte, si quam nouit, debere conari soluere. Ratio est; quia Iure naturæ tenetur satisfacere. Contrarium tenet D. Th. q. vltima huius partis art. 6. ad 3. & ibidè Caiet. Silu. v. Religio. 2. q. 4. & alij Summistæ omnes, docent enim, non teneri manere in sæculo, sed sufficere si bonis cedat suis creditoribus.

70
Valet pro-
fessio.

Pro resolutione Dico Primò, Si debitor ingrediatur & profiteatur, omnino valebit professio, nec poterit reuerti ad statum sæcularem. In hoc conueniunt omnes. Idque probat ratio D. Thomæ, quia etiam si sit pecuniæ debitor, tamen eius persona est libera. vnde etiam si concederemus illum malè facere, dum se Religioni mancipat, debitis non solutis, tamen illa traditio est valida: sicut si facultates ad soluendum creditoribus necessarias alteri donares, donatio Iure naturæ valeret; (quamuis in ea peccares) quia res illæ tuæ erant. Secus est si seruus profiteatur; quia cum persona ipsius libera non sit, sed domino ex iustitia addicta, non potest validè se alteri donare; ac proinde nec profiteri sine domini consensu. Idem dico de coniuge, matrimonio iam consummato; non enim est sui Iuris. secus est ante consummationem.

71
Si res in
specie extet.

Dico Secundò, Qui debet aliquid extans in specie, non potest omittà restitutione Religionem ingredi. Ratio est; quia hæc nulla est iusta ratio non restituendi. Idem dicendum, si quis sit obnoxius reddendis rationibus, vt ibidem D. Thomas ex B. Gregorio docet, id enim breui tempore fieri potest. Similiter si alicui sint parentes in graui necessitate constituti, aut proles adhuc teneræ alenda; de quo infra.

72
Si facili
negotio
possit.

Dico Tertio, Si debitor possit breui tempore, vt paucis annis & consuetis laboribus, satisfacere creditoribus, teneret aliquantisper differre ingressum, vt illis satisfaciat. Ita Petrus Nauarra l. 4. c. 4. num. 94. & Lopez l. p. c. 129. Idem sentit Medina supra, & Doctores Parisienses, quos ipse citat; quia tunc creditores merito sunt inuiti, si illis antea nõ satisfaciat; cum facili negotio possit. neque tunc

beneficio cessionis se poterit liberare. quia hoc non est introductum, nisi in fauorem eorum qui aliter se à debitis eripere nequeunt.

Dico Quarto, Si opus esset longo tempore, (vt multis annis, vel insolitis laboribus) non teneretur expectare, sed relinquendo omnia sua creditoribus, poterit Religionem ingredi. Ita P. Nauarra n. 95. idem dicunt omnes, qui D. Th. sequuntur. Ratio est; quia qui actu bona non habet, nec est in propinqua potentia ad ea habenda, absolutè censetur impotens ad soluendum, ac proinde ab obligatione restitutionis est excusatus. Neq; obligandus ad insolitum aut longum laborem, quando dedit quiddid habuit; quia ne Iudices quidem in foro externo ad hoc obligant, vt ex praxi tribunalium satis constat. sufficit enim eis si viderint debitorem omnia quæ actu habebat dedisse, nec breui tempore posse reliqua conquirere. Vnde etiam colligitur, non esse hoc priuilegium Religionis, sed ex natura rei obligationem cessare, vel potius sopiri, ratione impotentia. idque non solum locum habet, quando ex cõtractu, sed etiam quando ex delicto est debitum, vt ex furto, vsuris, rapinis. sufficit enim dare omnia, & non posse breuè aut facilè, iudicio prudentis, reliqua soluere.

73
Si difficul-
ter possit.

Non est tamen negandum, quin status Religionis aliquid peculiaris fauoris hac in re mereatur, vt etiam propter illum creditores non debeant plus exigere, quàm possit actu & sine longa mora præstare; præsertim cum in longa mora sit periculum salutis, vel dampni spiritualis. Adde, cum quis est debitor ex iusto cõtractu, potest facilè beneficio cessionis liberari, retentis etiam necessariis alimentis, vt supra ostensum est.

74
Liberatur
relictis om-
nibus.

Ex his sequitur, Si is, qui Religionem vult ingredi, est vir honoratus, quem dedecet seruire, vel manibus operari, hunc non teneri ad illas lucrandi rationes descendere, sed posse statim ingredi; quia talis, vbi omnia dederit quæ actu habet, ad nihil ampliùs tenetur, cum nulla ratio lucrandi, quæ ipsum deceat, suppetat. si autem est talis, cui aliqua lucrandi ratio honesta & statui ipsius consentanea suppediter: tunc videndum, an breui tempore sine animæ periculo possit se expedire, an non. & iuxta ea quæ dicta sunt statuendum. Fatendum tamen, D. Thomæ sententiam esse probabilem. vide Silu. v. Religio. 2. q. 4.

76

D V B I T A T I O I X.

Vtrum excommunicatio creditoris liberet à restitutione.

Respondeo, Non esse improbabile posse differri, donec Ecclesiæ reconcilietur. Hoc enim tenet Adrian. q. 3. de clauibus. §. Si peras, an. & Felinus in cap. Inter alia, de sententia excommunicationis. Panormit. in d. cap. Inter alia. 31. & cap. Intelleximus. 7. de Iudiciis. Glossa in caput Absolutos, de hæreticis. & quidam alij apud Couarr. ad regul. Peccatum, l. p. n. 8. Probatur Primò ex cap. Nos sanctorum, l. 5. q. 6. vbi Gregorius VII. sic ait: *Eos, qui excommunicatis fidelitate aut sacramento constricti sunt, Apostolica auctoritate à iuramento absoluiimus, & ne sibi fidelitatem obseruent, omni ratione prohibemus, quousque ipsi ad satisfactionem veniant.* & cap. seq. *Iuratos milites*

77
Excommu-
nicatio.

R

(inquit